

36. Bene quondam dociles

Piae Cantiones 1582

Anonymus

2. In intelligentiam primi entis vere,
sensus per noticiam veteres venere,
Quo primam essentiam res omnes sumsere,
Affirmarunt quoniam nil posse creante carere.
3. Vident licet physici de Philosophia,
Quanto plus Catholici, qui ex Prophetia
Fiunt scientifici non ex phantasia,
Nam data multiplici fit eis, virtute, Sophia.
4. Credimus stabiliter fide, non creatum
Patrem aeternaliter generasse Natum,
Et Flamen aequaliter ab utroque latum,
Unum tres sunt pariter hi super omne creatum.
5. Expedit Grammaticis leviter transire
In rebus Deificis, quam quid definire,
Ne queant Haereticis nostri consentire,
Sitquae Theologicis iudicare facile de re.

6. Regem Deum credimus, trinum in Personis,
Quem praeesse novimus malis atque bonis,
Nequaquam concedimus tres Deos in Thronis,
Verum Deus est unus, Angelorum canitur sonis.
7. Ut possimus fidere Trinitatem esse,
Simplicibus sapere non plus est necesse,
Quam valebunt metere fidei de messe,
Imo minus capere docti reputant facile se.
8. Scholares in trivio studentes guberna
Regnans ab initio Trinitas aeterna,
Fac vita cum gaudio frui sempiterna,
Puros nos a vitio duces ad regna superna.